Beata Candida Maria a Iesu (in saec.: Ioanna Iosepha Cipitria y Barriola), nata est die 31 mensis Maii anno 1845 in oppido v. d. *Andoain* (ex provincia Guipúzcoa in Hispania), dioecesis Victoriensis, e frequenti rusticaque familia, humili indole praedita. A Deo vocata ad consecrationis vitam, anno 1871 Congregationem Filiarum Iesu ad pueros adulescentesque educandos Salmanticae instituit. Postea, licet parum culturalis esset eruditionis, varia aperuit collegia tam in patria quam in Brasilia. Vita eius intensa exstitit; ipsa enim muneribus functa est fundatricis, supremae moderatricis, spiritualis omnium filiarum suarum educatricis. Vita quoque expletis operibus copiosa fuit, simul tamen densa tribulationibus, difficultatibus et aerumnis. Mater Candida, in Deum in eiusque paternam Providentiam plenam nutriens fiduciam, sublime se praebuit exemplum fidelitatis erga Dei gratiam. Die 9 mensis Augusti anno 1912 Salmanticae, sanctitatis fama gaudens, in Domino obdormivit. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 12 mensis Maii anno 1996 in album Beatorum eam rettulit.

Ad eius quod attinet canonizationem, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam miram subiecit sanationem Sororis Mariae Carminis del Val Rodríguez, quae die 6 mensis Novembris anno 1922 ortum habuit Vallisoleti in Hispania. Religiosa professa ex Congregatione Filiarum Iesu, magistrae officium exercuit multos per annos. In praesens, emerita, Vallisoleti apud suam Congregationem commoratur. Mense Octobri anno 2000, dum optima frueretur valetudine, affici coepta est tremoribus manuum, difficultate standi et virium amissione. Quamvis adhibitae sint therapiae pharmacologicae parum propriae a fideli medico praescriptae, valetudo eius gravius aegrotabat. Medicus neurologus, de re consultus, resonantiam magneticam tantummodo praescripsit, priusquam diagnosim ediceret; sed interim clinicus infirmae status in deterius ruebat,

qua de causa die 22 mensis Octobris urgenter excipi debuit in Nosocomium Clinicum Universitarium Vallisoletanum.

Eodem die Consorores religiosae Communitatis, ubi morabatur Soror Maria Carmen, orare coeperunt Fundatricem Beatam Candidam Mariam a Iesu ut infirma sanationem adipisceretur. Haec infirma Soror die 24 affecta est crisi epileptica diffusa, ac sequenti die in statum veternosum incidit. Medici a cura monuerunt familiam de imminenti « infausto exitu ». Ex peractis medicis inquisitionibus apud valetudinarium Vallisoletanum, diagnosis prodiit leucoencephalopathiae multifocalis progressivae, et medici Mariae Carminis inde ab initio destiterunt a qualibet iniungenda therapia quae excederet therapiam simpliciter symptomatologicam. Gravitas clinica immutabilis permansit usque ad diem 4 mensis Novembris, quo ex improviso recuperationis signum emersit: etenim Maria Carmen sponte oculos aperuit. Inter dies 8 et 9 eiusdem mensis loqui coepit et cooperari. Ulterius convalescere perrexit, excepta quadam periodo febris inter dies 16 et 28-29 eiusdem mensis ob urinariam infectionem. Infirma dimissa est die 1 mensis Decembris, servans tamen praescriptionem therapiae cortisonicae, antiepilepticae et physicae rehabilitationis. Postea neurologicas pati debuit inquisitiones, quae plenam confirmaverunt valetudinis recuperationem et absolutam absentiam irregularitatis neurologicae et physicae.

De hoc casu, apud Curiam Vallisoletanam a die 11 mensis Aprilis anno 2002 ad diem 30 mensis Iunii anno 2004 Inquisitio Dioecesana instructa est, cuius iuridicam validitatem approbavit haec Congregatio decretum vulgans die 10 mensis Iunii anno 2005. Consilium Medicum Dicasterii, in Sessione diei 25 mensis Septembris anno 2008, edixit sanationem Mariae Carminis a veterno celerem, perfectam, constantem *cum restitutione ad integrum* et ex scientiae praeceptis inexplicabilem fuisse. Die 7 mensis Martii anno 2009 habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus, cuius responsum affirmativum confirmatum est a Patribus Cardinalibus et Episcopis in Sessione Ordinaria die 16 mensis Iunii anno 2009 congregatis, Ponente Causae Exc.mo D.no Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo titulo Cilibiensi.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Candidae Mariae a Iesu (in saec.: Ioannae Iosephae Cipitria y Barrio-*

la), Fundatricis Congregationis Filiarum Iesu, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cum restitutione ad integrum Sororis Mariae Carminis del Val Rodríguez a « gravissima leucoencefalopatia multifocale presumibilmente di origine virale, con coma profondo (scala 1-1 di Glasgow) ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Angeli Paoli (in saeculo: Francisci), Sacerdotis professi ex Ordine Carmelitarum antiquae observantiae (1642-1720)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Angelus Paoli in vico Argiliano prope Casulam intra fines Dioecesis Lunensis-Sarzanensis, hodie vero Massensis-Apuanae, die 1 mensis Septembris anno 1642 natus est et ad fontem baptismalem ductus nomen Francisci sumpsit. Cum firmam christianam intra modestae familiae suae moenia recepisset institutionem, iuvenili adepta aetate, postulavit, ut ad statum clericalem admitteretur, sed ita praestantior in eo eminebat vocatio ad vitam regularem, ut una cum fratre Thoma Ordinem Carmelitarum eligere decerneret, apud quem nomen religiosum Angeli accepit.

Studiis usque ad academicum lectoris gradum variis in Etruriae civitatibus peractis, sed oboedientia regularique observantia atque erga egenos strenua caritate insignis humillimis abiectisque in servitiis vitam degit.

Romam postea convocatus, triginta ac tres annos fere in alma Urbe incubens de diversis communitatis suae curavit muneribus et, egenis praesertim derelictis ministrandis multos apparans cooperatores et in pauperum sollicitudinem attrahens, vocationis « Patris pauperum » plenitudinem instanter persecutus est. Fervidus spiritualis exstitit multorum cuiuscumque ordinis et condicionis moderator, cuius spiritualitatis autem caritatisque fons ardens Eucharistiae sollicitudo fuit, quam sincerae etiam Beatae Mariae Virginis iunxit pietati.

Sanctitatis fama succinctus, Romae, die 20 mensis Ianuarii anno 1720, pie in Domino quievit.

Processus canonici beatificationis et canonizationis secundo iudicio expedierunt, sicut et, anno 1723, Processus informativi dioecesani Florentiae, Pisciae atque in Urbe celebrati; Processus Apostolicus demum Romae inter annos 1740 et 1753 habitus est et anno 1781 Summus Pontifex Pius Pp. VI Servum Dei virtutes in modum heroum coluisse decrevit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem Dominae Aeglinae Canozzi, quae, mense Augusti anno 1927, adeo gravi procidentia uteri ingenti

cum sanguinis effluvio affecta est, ut ab omni incessu exinde impediretur. Obesitas, insuper, condiciones tantae infirmae exacerbaverat. Aegrota vero clinicis examinibus se subicere identidem renuerat. Olim, porro, omni demum superata verecundia, cum ad medicum iter faceret, ad divinum auxilium devote confugere coepit et per intercessionem Venerabilis Servi Dei sanationem impetravit. Quae, cum doctorem alius inspectionis officio districtum invenire nequiret, paulo restitit ac repente summo suipsius stupore se omnino sanatam esse percepit.

Clarissime continuatio temporis, sicut et nexus inter invocationem Venerabilis Servi Dei et sanationem Dominae Aeglinae Canozzi patuit, quae duodeseptuagesimum aetatis annum in illo tempore agebat et optima gaudens valetudine normalesque exinde vitae consuetudines gerens decem annos amplius vixit.

De hac mira habita sanatione apud Curiam Episcopalem Massensem a die 18 mensis Novembris anno 1931 ad diem 5 mensis Iulii anno 1932 Processus Dioecesanus celebratus est, qui vero diversas ob causas haud expeditus fuit. Casus autem repetitus est et demum anno 2007 ad Congregationem adductus, quae ipsius studium inivit.

Dicasterii Medicorum Collegium in sessione diei 29 mensis Maii anno 2008 una voce ac sententia sanationem inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit.

Die 20 insequentis mensis Decembris eiusdem anni, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum eodem prospero atque unanimi exitu factus est, cuius sententiam pro miro Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, die 26 mensis Maii anno 2009 habita, Ponente Causae Excellentissimo Domino Marcello Semeraro, Episcopo Albanensi, confirmavit.

Et in utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Dei patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Angeli Paoli, Sacerdotis professi ex Ordine Carmelitarum antiquae observantiae, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione Dominae Aeglinae Canozzi a « voluminosa tumescenza utero-vaginale protrudente dai*

genitali esterni, sanguinante, in necrosi, infetta e infestata, con complicanze alla minzione e alla defecazione, seria compromissione dello stato generale. Obesità».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

CENOMANEN. - MARIANOPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae De La Ferre, Confundatricis Instituti Filiarum Sancti Ioseph Flexiensis nunc religiosarum hospitalariarum Sancti Ioseph (1590-1652)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Amen amen dico vobis: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*» (*Mt* 25, 40).

Serva Dei Maria De La Ferre totis viribus hanc doctrinam vixit et suas optiones ad fratrum indigentiorum auxilium collocavit.

Maria nata est intra annos 1589 et 1590 in loco Roiffé in regione Gallica v.d. Poitou-Charentes, in christiana familia parvae nobilitatis.

Iuvenis, mortua matre, delegata est matricis curae quae eam docuit «videre et exscribere» Iesum Christum Dominus de la Ferre, pater eius, postquam viduus uxorem alteram duxit, coactus est Mariam mittere ut cum matertera viveret in Castello Ruginiensi apud locum Flexiensem. Hic Maria in temporibus voluptariis crevit et vitae futilis divitisque relaxationes gaudiaque aestimavit quam diu Dominus eam convertit. Parochus Iulianus

Le Royer eam adiuvavit ut renatam fidem in Eucharistia preceque confirmaret.

Deinde Serva Dei mysticam experientiam in festo Sanctae Mariae Magdalenae anno 1607 accepit: cum proxime ad Sanctam Eucharistiam accederet, magnam laetitiam percepit quae fortiter commovit animum eius et, ut altera Maria Magdalena, removit se a bonis et fortunis humanis et omnino adhaesit Domino. Cum non posset in monasterium admitti propter aliquos defectus, magno gaudio paenitentiae misericordiaeque operibus se tradidit.

Anno 1636, post occursum cum Venerabili Hieronymo Le Royer de la Dauversière, a familiae negotiis vacua, cum alteris piis mulieribus sociis ad aegrotos in nosocomium « Hotel Dieu » Flexiensi se contulit. Brevi tempore ab hac piarum benignarumque mulierum societate orta est Congregatio Filiarum Sancti Joseph, quarum Serva Dei facta est Prima Antistita. Religiosarum Hospitalariarum Sancti Joseph Opera apud nosocomium Flexiense exemplum aliis imitandum facta est et fundationes paulatim increbruerunt etiam trans Galliam usque in urbem Marianopolitanam in Canadiae dicione. Domus Lemaniensis (i.e. Moulins) in Alvernia, quo Maria migravit deinde, facta est centrum novum moderationis omnium navitatum subsidii. Quamvis multo labore, Serva Dei exemplum modestiae, rerum humanarum contemptionis, obsecrationis fortitudinisque semper fuit. In Eucharistia suum validius auxilium calamitatibus invenit et testis Sanctae Communionis frequentis facta est. Mutare voluit nosocomia ab hospitiis in locos fraternae acceptionis, cum maximam reverentiam aegrotorum eorumque animarum curam praestaret. Ineunte vere, anno 1652, civitas Lemaniensis terribili pestilentia vulnerata est, quae etiam Servam Dei contagione corrupit dum aegrotis assidebat. In conspectu eius confessoris et Communitatis, Maria in Domino obdormivit nocte inter dies 27 et 28 mensis Iulii eodem anno.

Sanctitatis fama, qua vivens circumdabatur, post mortem increbruit et apud Episcopalem Curiam Cenomanensem (i.e. Le Mans) a die 24 mensis Iunii anno 1934 ad diem 30 mensis Aprilis anno 1936, instructus est Processus Ordinarius et apud Episcopalem Curiam Marianopolitanam a die 24 mensis Iunii 1934 ad diem 19 mensis Martii anno 1936 instructus est Processus Cognitionalis, cuius vim iuridicam cum decreto hoc Dicasterium approbavit die 18 mensis Octobris anno 1991. Parata Positione, Consultorum Historicorum sessio habita est die 28 mensis Aprilis anno 1995; inde examen peractum est super virtutibus Servae Dei.

Die 22 mensis Septembris anno 2008 cum exitu positivo habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus. Cardinales Patres et Episcopi in Ordinaria Sessione die 10 mensis Martii anno 2009, Ponente Causae Exc.mo D.no Hieronymo Grillo, Episcopo emerito Centocellarum-Tarquiniensi, edixerunt Servam Dei in gradu heroico excoluisse theologales, cardinales adnexasque virtutes.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae de la Ferre, Confundatricis Instituti Filiarum Sancti Ioseph Flexiensis nunc Religiosarum Hospitalariarum Sancti Ioseph, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Aprilis A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

BARCINONEN.

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Iosephi Samsò i Elias, Sacerdotis Dioecesani Parochi – Archipresbyteri S. Mariae de Mataro († 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo » (*Gal* 6, 14).

Ardens confessio Beati Pauli Apostoli authenticam ac profundam resonantiam in vita morteque Servi Dei Iosephi Samsó i Elias invenit: testis Domini crucifixi, christianam perfectionem consecutus est, martyrio vitam suam consumpsit et plene fratribus se tradidit.

Servus Dei natus est in loco Castellibisbaliensi prope Barcinonem die 17 mensis Ianuarii anno 1887. Inde ab adulescentia in animo suo vocationem ad sacerdotale ministerium ita percepit, ut, superioribus studiis perfectis, Seminarium Dioecesanum ingrederetur, ubi affabilitas una cum eius intellectus qualitatibus et certa spiritualitate aestimationem et sodalium superiorumque affectum ei comparavit. Demum, studia exercuit apud Pontificiam Facultatem Theologicam Tarraconensem usque ad Doctoris gradum in Sacra Theologia. Sacerdos anno 1910 ordinatus est. Primum vicarius ad paroeciam Sancti Iuliani de Argentona missus est, denique in illam Sancti Ioannis de Conillas-Mediona. Deinde, archipresbyter oeconomus nominatus est et parochus communitatis Sanctae Mariae Mataronensis.

In omnibus Iosephus diligentia, humana sacerdotalique pietate et praesertim catechetica praeparatione praestitit. Praeclara erat peritia eius in amicitia promovenda cum fidelibus omnium ordinum socialium, quos faciliter participes faciebat nonnullarum actionum pastoralium. Servus Dei assiduus erat in sacramento Reconciliationis administrando, praesertim ut spiritualis moderator et vocationum suscitator; singulari modo aegrotorum moribundorumque servitium pastorale curabat, liturgiam summa deditione animabat et sodalitia christifidelium constanter fovebat. Lineamenta eius humana et sacerdotalia validissima exstiterunt: austerus erat, ardentis fidei caritatisque dives, animarum saluti deditus et ad veniam propensus, modestus et severus, sed etiam benignus et amabilis. Quae cotidianam eius actuositatem gubernabant, erant: « Deus super omnia! ».

Interea, graves in Hispania res gignere coeperunt, quae repente in civile bellum versae ipsam Maresmensem Catalauniae regionem, ubi Mataro invenitur, aggressae sunt et Ecclesiam, ac praesertim sacerdotes, religiosos et seminarii discipulos, saepius plumbis transfossos, omnibus in Reipublicae partibus asperrime vexarunt. Servus Dei, qui iam biennio ante passus erat metum incutionum, instante sorore, domum canonicam reliquit et apud fidelium familiam confugit, sed paulo post Barcinonem discedit. Primo tamen diluculo, dum profecturus erat, detentus est et in custodiam a militibus abductus. In captivitate Dominus Iosephus conversationem vitae ostendit plene Dei amore et proximi afflatam: cum carceris sociis orabat eosque numquam destitit adhortari, ipsis ministrans Reconciliationis sacramentum. Demum, die 1 mensis Septembris anno 1936 seditiosum agmen «Malumcaput» seu vulgo *Malatesta*, crudelitate notum, noluit ab urbe proficisci ante Mataronensis parochi supplicium. Quapropter, Servus Dei a custodia deductus est et in civitatis coemeterium translatus, ubi, magna cum dignitate, petivit, ut nullo velamine oculos suos tegeret et usque ad finem civitatem, cuius pastor fuerat, videre posset. Demum, Iesu Christi instar, sicariis ignotis, a persecutoribus plumbo interfectus est.

Plebs Mataronensis nuntium caedis eius ingenti cum tristitia accepit.

Interim, sanctitatis fama, qua in vita circumdabatur, sicut et notitia martyrii adeo post mortem eius increbuit, ut in Curia Archiepiscopali Barcinonensi a die 13 mensis Martii 1996 usque ad diem 18 mensis Martii 1999 instrueretur est Inquisitio Dioecesana, quam haec Congregatio de Causis Sanctorum decreto diei 23 mensis Iunii anno 2000 iuridice validam agnovit. Exarata *Positione*, iuxta morem disceptatum est an mors Servi Dei verum martyrium fuisset. Positivo cum exitu, die 4 mensis Aprilis anno 2009 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Dein, Cardinales Patres et Episcopi in Sessione Ordinaria die 16 mensis Iuniii anno 2009, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titularis Cilibiensis, Ponentis Causae, dixerunt Servum Dei Christi fidelitatis usque ad effusionem sanguinis praebuisse testimonium.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Archiepiscopo Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *« Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Iosephi Samsó i Elias, Sacerdotis*

Dioecesani Parochi-Archipresbyteri Sanctae Mariae de Mataró, in casu et ad effectum de quo agitur ».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

SYDNEYEN.

Canonizationis Beatae Maria a Cruce MacKillop (in saec.: Mariae Helenae), Fundatricis Congregationis Sororum Sancti Ioseph a Sacro Corde (1842-1909)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Maria a Cruce MacKillop in civitate Melburno, in Australia, die 15 mensis Ianuarii anno 1842 e scotis catholicis parentibus nata est. Senior ex octo filiis, nomen Mariae Helenae ad baptismalem fontem cepit, iam inde ab infantia in familia mirum sumens exemplum et efficacem Christi testimonium. Quamquam incipientis coloniarum constitutionis causa praestanti ob patriae suae angustias scholastica careret institutione, iuvenili tamen aetate magistrae munere una et ministrae in domibus functa est. In hoc peculiari magisterio exercendo sollicita adiuncta decernere valuit, quibus pueri catholici rusticis praesertim natalibus, nullo vero religionis vel humani cultus decore honestati, gravabantur.

Ad tantam discutiendam immanitatem, Beata, quae interdum vocationem ad vitam religiosam instantius animadvertebat, una cum aliis sociis opus quoddam pro puerorum pauperum educatione incepit, e quo Institutum Sororum Sancti Ioseph a Sacro Corde exordia duxit. Et innumeras vero inter difficultates, mira semper fide in Deo sustentata, iugiter enisa est, ut tantum

opus omnimodo diffunderet, et per nobile ac perseverans exercitium virtutum fidelitatis Christo testimonium perhibens eximium benignitate in dies properiore vocationem suam vixit. Die 8 mensis Augusti anno 1909 Sydneii in Domino quievit.

Venerabilis Servus Dei Summus Pontifex Ioannes Paulus II felicis memoriae eam in Beatorum numerum rettulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem Dominae Catharinae Elisabeth Evans, undequinquaginta annorum, cui mense Iulii anno 1993 infausta medicorum diagnosis dicta est tumoris pulmonis in ingentis statu progressionis cum perdiffusa cellularum textuumque cerebri mutatione. Adeo adversae res apparebant, ut aegrota sese nulli curae committeret et, licet lecto iacere strictius coacta et auxiliis omnino indigens, ultimas hebdomadas apud caros degere statueret et voluntates quoque suas pro exsequiis traderet. Mense Augusto eiusdem anni fere exeunte, familia eius una cum amicis et Sororibus quibusdam Sancti Ioseph a Sacro Corde novendiali supplicatione ad divinum confugit auxilium per Beatae Mariae a Cruce MacKillop intercessionem a Deo impetrans, ut salus infirmae reficeretur, et reliquiam quamdam Beatae posuerat apud eam. Paucis transactis hebdomadis, Domina Catharina Elisabeth Evans e lecto exsurgere valuit, cum filia egressa est, ut habitum eius nuptialem emeret, et aliquibus hebdomadis infra ad matrimonium puellae magno omnium stupore iubilans saltavit. Mense Aprili anno 1994 examina radiorum emissionis ope instructa completam ostenderunt restitutionem eius a tumore. Clarissime patuit continuatio temporis, sicut et nexus inter invocationem Beatae et sanationem Catharinae Elisabeth Evans, quae exinde optima valetudine gaudet et normales vitae consuetudines gerere potest.

De hac mira habita sanatione inter dies 14 et 17 mensis Aprilis anno 2008 apud Curiam Maitlandensem-Novocastrensem Inquisitio Dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 24 mensis Maii anno 2008 probatae sunt. Dicasterii Medicorum Collegium in sessione diei 7 mensis Maii anno 2009 sanationem rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit. Die 14 mensis Iulii anno 2009, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 29 mensis Septembris anno 2009 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Ioanne Paulo Benotto, Archiepiscopo Pisano, et in

utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Mariae a Cruce (in saeculo: Mariae Helenae) MacKillop, Fundatricis Congregationis Sororum Sancti Ioseph a Sacro Corde, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione Dominae Catharinae Elisabeth Evans a carcinomate anaplastico pulmonis in quarto statu progressionis (TNM 4)*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ioannis Pauli II (Caroli Wojtyła), Summi Pontificis (1920-2005)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Ego sum vitis vera, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum*» (*Gv* 15, 1. 5).

Verba haec Iesu in Sancti Ioannis Evangelio relata, personam Servi Dei Ioannis Pauli II peculiarem in modum perstringunt. Vox «fructus» nobis exhibet sanctitatem vitae semper fidelis Dei voluntati eiusdemque amori. Haec enim fidei caritatisque firmitas integram Servi Dei vitam collustrat.

Servus Dei Carolus Iosephus Wojtyła die 18 mensis Maii anno 1920 in civitate v.d. Wadowice in Polonia e familia solidis humanis christianisque praeceptis penitus informata natus est. Praecox mors matris maiorisque fratris profunde animum pueri affecit, qui autem firma et sincera fide fervidae pietati navitatique religiosae innixa suffultus, aequo animo tanta tristia obire valuit.

In lycaeo usque ad annum 1938 studiis superioribus, quibus ac praesertim in studiis humanitatis eminuit, peractis, Cracoviam Servus Dei cum patre suo migravit, ubi facultati Philosophiae Universitatis Studiorum Iagellonicae nomen dedit et circulum scaenicum assidue frequentavit.

Altero mundano bello grassante, quo tempore Polonia a Germanis nazistis est invasa, omnia athenaea scholaeque sunt praeclusa, itaque Servus Dei, ob lugendam mortem patris solitudine affectus, ad labores coactus est, primum ut operarius apud fodinas petrarias, dein apud officinam chimicam.

Hoc eodem angustiarum ambagisque tempore, Servus Dei vocationem ad sacerdotium ardenter animadvertit. Proinde, anno 1942, studia Theologiae apud Seminarium clandestinum Cracoviense iniit et ab anno 1944 una cum aliis eiusdem Seminarii discipulis ab Excellentissimo Domino Stephano Sapieha in Palatio Archiepiscopali ferventer exceptus est, quo maiore securitate, quiete et tranquillitate institutionem theologicam pergeret.

Die 1 mensis Novembris anno 1946, presbyteratus ordine auctus est ac statim in Urbem ad perficienda Theologiae studia missus. Anno 1948, doctoratum in Sacram Theologiam adeptus, in Poloniam rediit, ubi coadiutoris paroecialis et cappellani Universitatis simul munera assumpsit. Anno 1953,

studia Philosophiae in Universitate Catholica Studiorum Lublinensi renovavit et titulo doctoris atque munere libere docendi ornatus est. Extemplo ei officium magistri Theologiae Moralis et Ethicae apud Seminarium Maius Cracoviense commissum est, sicut et apud eandem Facultatem Theologiae Lublinensem.

Summus Pontifex Pius XII, veneratae memoriae, die 4 mensis Iulii anno 1958 Episcopum titularem Ombiensem et Auxiliarem Cracoviensem eum nominavit. Die 28 insequentis mensis Septembris, consecrationem recepit ab ipso Archiepiscopo Cracoviae, Excellentissimo Domino Eugenio Baziak, cuius pastorali officio die 13 mensis Ianuarii anno 1964 successit. Hoc tempore, Servus Dei variis Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani Secundi actuose interfuit sessionibus, ubi gradatim mira eius et firma indoles emicuit, praesertim cum operam navaret in Constitutionem *Gaudium et Spes* redigendam.

Summus Pontifex Paulus VI eum Cardinalem Sanctae Romanae Ecclesiae in Consistorio die 26 mensis Iunii anno 1967 creavit. Illis annis, Servi Dei opera navitate humani cultus et pastoralis curae, necnon altercationibus disputationibusque cum Polonico regimine communistarum enituit: cum civilis auctoritatis obsequio coniunxit fiduciam atque audaciam evangelici nuntii. Firmiter conscius se esse pastorem et ducem animarum, ac fidem habere radicitus constitutam, exemplo Christi compulsus, pro bono populi sibi commissi omnino sese tradidit.

Paulo VI e vita erepto et post brevem pontificatum Ioannis Pauli Papae I, Servus Dei ad Petri Sedem die 16 mensis Octobris anno 1978 electus est. Qui dies initium exstitit pontificatus peculiari ministerio intensi ob innumeras peregrinationes et frequentem dialogum, simul significantioribus gestibus, compluribus inceptis propheticis praeceptisque magisterii.

Servi Dei pontificatus exordia iamiam aerumnae vexaverunt. Die 13 mensis Maii anno 1981, enim, graviter in insidiis vulneratus est. Quod autem acerrimum discrimen adeo mira animi oppetiit fortitudine, ut oculis omnium, etiam fide carentium, verus ipse videretur ductor, qui Ecclesiam atque humanitatem in tertium millennium perducet instans praecipuas fidei, spei et caritatis virtutes.

Per diutinum Pontificatum profundo spiritu fidei circumfusum aperte se ostendit, quo omnibus in consiliis ineundis, tam in minimis cotidianis actionibus quam summis in decretis ad ministerium petrinum attinentibus, ductus est. Universa eius terrestris exsistentia, filiali pietate erga Sanctissimam

Virginem insignita, caritatem absolutam in Christum illustravit, necnon Evangelii praepollens testimonium quibus pulchritudinem et laetitiam fidei christianae in lucem protulit. Eius exemplum sequentes multi viri mulieresque ad Dominum convertuntur et ad fidem propius accedunt.

Extraordinariam Servus Dei audaciam et fortitudinem quoque exhibuit, praesertim in multis controversiis et discriminibus gerendis. In animo eius percipi possunt spiritus orationis constans, ingens amor erga Eucharisticam cotidianam celebrationem, caritas erga proximum vere heroum modo et universaliter exercita, necnon vigil ingenium sublevandi innumeras universae humanitatis tribulationes. Semper excellenti modo promptum ac munificum se praebuit.

Hic Dei Servus extremis vitae annis adversa valetudine est afflictus: iam senio confectus et corporis viribus infractus, usque ad extremum ministerium exercuit, universo orbi verum catecheseos compassionis tradens specimen, quam pro Christi et Ecclesiae amore vixit et obtulit. Testimonium perhibitum tempore praesertim lugendae infirmitatis ubique per terrarum orbem famam diffusam excitavit eius sanctitatis.

Ad domum Patris Servus Dei rediit die 2 mensis Aprilis anno 2005, sanctitatis fama unanimiter circumfusus.

Hanc ob sanctitatis famam, dispensatione a tempore quinque annorum exspectationis post mortem a Summo Pontifice Benedicto XVI concessa, a die 28 mensis Iunii anno 2005 ad diem 2 mensis Aprilis anno 2007 apud Vicariatum Almae Urbis Causa Beatificationis et Canonizationis instructa est per celebrationem Inquisitionis Dioecesanae principalis. Duae Inquisitiones Rogatoriales peractae sunt, scilicet Cracoviae a die 4 mensis Novembris anno 2005 ad diem 1 mensis Aprilis anno 2006 et Novi Eboraci a die 31 mensis Iulii ad diem 15 mensis Augusti anno 2006, quarum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 4 mensis Maii anno 2007 probatae sunt. Positione confecta, iuxta suetum morem, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, duplici habita sessione die 13 mensis Maii et die 30 mensis Iunii anno 2009, prospero cum exitu disceptatum est an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 16 mensis Novembris anno 2010, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Salvatoris Fisichella, Archiepiscopi titularis Vicohabentini, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Ioannis Pauli II (Caroli Wojtyła), Summi Pontificis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

ZAMOREN.

Canonizationis Beatae Bonifatiae Rodríguez de Castro, Fundatricis Congregationis Servarum a S. Ioseph (1837-1905)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Bonifatia Rodríguez de Castro Salmanticae in Hispania nata est die 6 mensis Iunii anno 1837 e familia artificio dedita et profunda fide praedita. Adulescens officium didicit artis segmentariae, quo quindecim aetatis annos agens necessarium ad vitam lucrari potuit, primum uti nummo conducta, ac postea in propria officina segmentariae artis operando. Ob vitae testimonium varias ad se attraxit iuvenes quae diebus dominicis et festivis postmeridianas horas cum ea transigere cupiebant, ita ut eius domus inceperit esse centrum praeventionis mulieris operi deditae. Ita congregatae Iosephinam instituerunt Associationem, quae in seminarium transformata est pro religiosis vocationibus. Die 10 mensis Ianuarii anno 1874, simul cum Patre Francisco Butinyà i Hospital, S.I., Salmanticae condidit Congregationem Servarum a Sancto Ioseph, quae in campo laboris originale exstitit propositum vitae religiosae femininae, secundum vestigia Nazarethanae Familiae. In « officinis Nazarethanis » Servae Sancti Ioseph subveniebant pauperibus mulieribus opere carentibus, vitando ne earum dignitas detrimentum caperet in ipsis exordiis eversionis industrialis Hispanicae, quo tempore mulier opus extra domum exercere incipiebat. Tot inter discrimina Bonifatia mira humilitate et mansuetudine omne genus iniustitias, contumelias et calumnias pertulit, nec de his ullo tempore querebatur, abhorrens vindictas et contestationes. Fide suffulta et fiducia in Deum, permisit ut silentium Iesu in passione labia eius clauderet, et summa largitate omnibus ignovit, minime propriam quaerens iustificationem. Tamquam Sancta Zamorae existimata, ibidem animam exhalavit die 8 mensis Augusti anno 1905. Summus Pontifex Ioannes Paulus II in Beatorum album cooptavit eam die 9 mensis Novembris anno 2003.

Canonizationi consulens, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam miram subiecit sanationem domini Kasongo Bavon, tres et triginta annos nati, oriundi ex oppido Kolwezi (Katangae, e Republica Democratica Congensi). Ad Confessionem Neoapostolicam pertinens, tempore curationis officium exsequebatur institoris, et matrimonio coniunctus filiam habebat. Exeunte mense Martio anni 2003 dominus Bavon

vehementi febri et tremoribus est affectus. Arbitrans agi de malaria, quae illa in regione frequens est, sibi ipsi medicinam applicuit. Indicia tamen morbi in deterius ruebant, quapropter ipsemet consilium cepit accedendi in valetudinarium Missionis Catholicae loci Kayeye, concreditum curis Servarum Sancti Ioseph. Medicus loci examinavit eum, et, post diagnosim clinicam probabilis peritonitidis acutae per typhicam perforationem, laparotomiam explorativam urgenter exercuit, unde edixit diagnosim «febris typhoidis cum perforatione in tertio terminali ilei»; tunc subiecit illum resectioni ileali. Expleta chirurgia, administra medici, quae erat etiam Serva Sancti Ioseph, infirmum commendavit intercessioni Matris Bonifatiae, fundatricis Congregationis, persuasa infirmum vitam non esse recuperaturum. Post unius mensis spatium, dominus Bavon anxiosum exhibebat valetudinis statum, qui iuxta praeviam diagnosim clinicam de occlusione intestinali acuta agebatur, ac die 3 mensis Iunii iterum coactus est laparotomiam explorativam pati, ex qua detectus est gravissimus status abdominalis per praesentiam periviscerititidis abdominalis diffusae, morbus scilicet quem medicus prima opportunitate noverat. Hic enim adhaesiolysim per quattuor horas valde onerosam ad effectum perduxit, therapiam tamen illo in casu clinice interdictam. Prognosis infausta exstitit. Post tres dies vulnus recruduit, et valetudinis condicio desperata visa est. Currebat dies 6 mensis Iunii anno 2003. Servae Sancti Ioseph ferventius orabant et novendiales preces effundere coeperunt, quoniam iam deerat omnis spes vivendi. Die 9 eiusdem mensis medicus ad tertiam chirurgiam procedere statuit; sed priusquam interventum inciperet, Matrem Bonifatiam invocavit, cuius precationi infirmarii quoque ibi adstantes interfuerunt. Ex laparotomia detecta est peritonitis plastica cum duabus perforationibus intestinalibus. Tunc perforationes celeriter suturavit et, perpensa extrema domini Bavon gravitate, nihil amplius fecit; statim abdomen clausit et eius patri dixit infirmum proximis horis probabiliter esse moriturum, cui prognostico omnes administri centri medici annuerunt. Sequenti tamen die contra omnem exspectationem dominus Kasongo Bavon persensit sanatum esse, dolores enim non patiebatur et ingenti aviditate petebat aliquid manducandum. Tertio die vulnus exsiccatum ac detersum apparuit, absque suppuratione, et intestinalis ductus sponte ad normam rediit.

Inquisitio Dioecesana super asserto miro instructa est apud sedem Archidioecesanam Lubumbashiensem, praehabita concessione Congregationis de Causis Sanctorum, quae translationem competentiae approbavit die 27 mensis Martii anno 2007, eo quod Dioecesis Kaminaensis, uti propria sedes, ne-

cessariis carebat instrumentis. Inquisitio enim peracta est a die 31 mensis Octobris ad diem 4 mensis Decembris anno 2007. Congregatio de Causis Sanctorum Decretum validitatis vulgavit die 4 mensis Iulii anno 2008. Consilium Medicum casum inspexit die 2 mensis Iulii anno 2009; et experti medici edixerunt sanationem peritonitidis plasticae, quam dominus Kasongo Bavon patiebatur, celerrimam fuisse, perfectam, constantem et secundum hodiernas scientiae medicae leges inexplicabilem; et adhibitam curationem sive medicam sive chirurgicam dissentaneam exstitisse et inefficacem. Die 30 mensis Octobris anno 2009 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Quandoquidem agebatur de sanatione habita post vulgationem Decreti super miraculo ad beatificationem, ante tamen ipsum ritum beatificationis, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum a Summo Pontifice petivit huiusmodi dispensationem, qui in audientia die 19 mensis Decembris anno 2009 concessit eam. Die 16 mensis Martii anno 2010 Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria sese congregarunt, Ponente Causae Exc.mo D.no Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo titulo Cilibiensi. Exposito dubio an de miraculo constaret, agnoverunt sanationem domini Kasongo Bavon verum fuisse miraculum, intercessioni Beatae Bonifatiae Rodríguez de Castro adscribendum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Bonifatiae Rodríguez de Castro, Fundatricis Congregationis Servarum a Sancto Ioseph, videlicet de celerrima, perfecta ac constanti sanatione domini Kasongo Bavon a « peritonite da perforazione intestinale tifica, con successiva peritonite plastica e fistola entero-cutanea ».*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Martii A. D. 2010.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

OXOMEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis de Palafox et Mendoza, Episcopi prius Angelopolitani, postea Oxomensis (1600-1659)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Ioannes de Palafox et Mendoza natus est Fiteri in regno Navarrae in Hispania die 24 mensis Iunii anno 1600.

Decennis in Seminario Tyrasonensi S. Gaudiosi receptus, ad annum usque 1615 collegialem egit; postea per sex annos maioribus Disciplinis ac Facultatibus in Academiis Oscensi, Complutensi et Salmantina incubuit.

Anno 1629 Sacerdotio initiatus, anno 1639 Episcopus Angelopolitanus consecratus, XI Kal. Augusti insequentis anni 1640 Angelopolim ingressus est.

Postquam Dioecesim Angelopolitanam per novem annos praesens rexerat, Matritum a Rege vocatus, eam per vicarios et pastorales litteras diligenter gubernare curavit, usquedum, mense Martii 1654, ad Sedem Oxomensem translatus est. Tandem, postquam novam Dioecesim illi commissam per quinquennium sanctissime rexerat, die prima Octobris anni 1659 pie in Domino obdormivit.

Summus Pontifex Benedictus XVI, die 17 mensis Ianuarii anno 2009, eum virtutes theologales, cardinales et his adnexas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis Venerabilis Servi Dei respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam quandam subiecit miram sanationem, intercessioni tributae Servi Dei, scilicet casum Reverendi Domini Lucae Fernández de Pinedo, parochi in vico *Fuentemolinos*, dioecesis Oxomensis, qui anno 1766, die 29 novembris, a confirmata pthysi tertii generis, quae eum in vitae discrimen duxerat, instantanee sanatus est.

Lucas Fernández de Pinedo, mense Decembri anni 1669 natus, annum agebat 67 aetatis quando, mense Ianuario anni 1766, narium haemorrhagia arreptus, infirma valetudine laborare incepit, usquedum, die 19 Octobris eiusdem anni, febri correptus decidit in lectum. Paucis autem transactis diebus Lucae infirmitas tamquam pthysis incipiens iudicata est a duobus

medicis, qui remedia illo tempore usitata infirmo praescripserunt, at incassum. Post quadraginta dies, in quibus morbus constanter ingravescens usque ad confirmatam pthysim tertii generis pervenerat, die scilicet 29 mensis Novembris, Lucas, reiectis medicinae remediis, Sacrum Viaticum recepit, et, morti proximum se sentiens, fidelibus adstantibus valedixit et eos ut fideliter christianam fidem servarent adhortatus est. At, paulo post, nepos eius, qui et viceparochi munere fungebatur, reliquiam Ven. Servi Dei Ioannis de Palafox et Mendoza illi ostendit. Infirmus magna devotione et laetitia reliquiam deosculavit et a Deo, per intercessionem Servi Dei, salutem si ipsi conveniret impetravit; ac, fere statim, quietus obdormivit ille qui a pluribus diebus, ob infirmititatis molestias, somnum conciliare non potuerat. Transactis autem quattuor horis, mulier quae infirmo adsistebat, timens ne iam mortuus esset, eum expergiscere curavit, et Lucas, sereno vultu et absque ullo morbi synthomate, evigilavit.

Quo de casu, apud Curiam Oxomensem anno 1767 Processus dioecesanus est instructus, cuius validitas iuridica agnita est a Sacra Rituum Congregatione per decretum die 9 Decembris 1769 latum et a Summo Pontifice die 13 eiusdem mensis et anni 1769 confirmatum.

Consilium vero Medicorum, in sessione die 26 mensis Februarii anni 2009 habita, agnovit sanationem subitam, perfectam, stabilemque exstitisse ac scientifice inexplicabilem. Felici cum eventu, die 27 mensis Iunii eiusdem anni actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, ac die 8 mensis Februarii anni 2010 Sessio Ordinaria est habita Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Em.mo D.no Card. Iuliano Herranz.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Ioannis de Palafox et Mendoza, Episcopi prius Angelopolitani, postea Oxomensis, videlicet de subita, perfecta stabilique sanatione, eademque scientifice inexplicabili, Domini Lucae Fernández de Pinedo a « confirmata pthysi tertii generis ».*

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 27 mensis Martii A. D. 2010.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

PORTALEGREN. IN BRASILIA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Barbarae a SS.ma Trinitate (in saec.: Barbarae Maix), Fundatricis Congregationis Sororum ab Immaculato Corde Iesu (1818-1873)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Barbara Maix Vindobonae die 27 mensis Iunii anno 1818 nata est et in eadem die baptisma percepit. Ultima nata familiae multorum filiorum, iam in pueritia thypho aegra fuit et omni in vitae decursu semper anhelatione et cordis palpitationibus laboravit; etiam familiae pecuniarum condicio angustissima fuit. Istis in rebus Barbara patientiam, animum, fidem in Divinam Providentiam nec non amorem erga alios et praecipue in pauperiores excoluit et confirmavit. Adulescens parentibus orbata fuit ac decimum et octavum annum aetatis agens una cum sorore Maria paternam domum relinquere et vitam in mundo aggredi coacta est. Sorores simul habitationem et mensam ad iuvenes operarias et iuvenes ab opere vacuas benigne accipiendas fundaverunt. Deinde Barbara, una cum aliis iuvenibus, regulam constituit, ad instituendam, suae mentis ad instar, Operam ad mulierum fovendam dignitatem. Pluribus difficultatibus exortis, Serva Dei Romam adire statuit ad aditum a Pontifice Gregorio XVI obtinendum, qui pridie aditus Servae Dei e vita discessit. Itaque, cum fundare Congregationem in Austria non potuisset, statuit Americam Septentrionalem petere sed, cum in *Hamburgensi* portu

consisteret, locum mutavit et in Brasiliam iter intendit. Venerabilis et sorores Dei regni eiusque iustitiae siti incensae compluribus pauperibus et dolentibus in *Fluminis Ianuarii* et *Rivi Australis* pagis et oppidis adfuerunt quos etiam iuvaverunt. Fundatrix mirabili amore et fortitudine paupertatem et complura adversa quae saepe ei obstiterunt suscepit, suum vitae testamentum indulgentiae et amoris veritatis semper fuit. In pago *Catumbi* privata in domu die 17 mensis Martii anno 1873 beatitudinem assecuta est, a Christo fidelibus servis promissam. Summus Pontifex Benedictus XVI die 3 mensis Iulii anno 2008 virtutes heroicas approbavit.

Beatificationis respectu, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit quandam miram sanationem quae in regione *Macaburio* non longe a *Sancta Lucia do Piai, Caxias do Sul* in Brasilia evenit. Sanatio de qua agitur fuit pueri Honorini Ecker, qui ustionem a ferventis aquae et prunarum contactu nec non ab aestuantibus vaporibus, gravi cum collapsu passus est. Mane diei 10 mensis Iulii anno 1944 mater pueri, quum super foco ollam aquae catena suspensam reposuisset, ad animalia gubernanda exivit. Parvulus Honorinus autem quartum aetatis annum agens, dum cum fratribus circa focum ludebant, illisus incaute, catenas apprehendit, ferventem aquam super sui corporis anteriorem partem propellens, deinde super prunas cecidit sibi graves ustiones efficiens et, quum ferventes vapores, quae ab aqua elapsa in foco eruperunt inhalavisset, internas ustiones effecit. Statim mater, una cum amica, parvuli ventrem, brachia, manus, crura sapone et frictorum ovorum adipe ad dolores laxandos unxit. Deinde, ligato linteo ad dua bacula a mulieribus, familiares ad propinquum valetudinarium in pago dicto *Cristovão de Mendonça* parvulum deduxerunt, percurrentes chiliometra xv quattuor horis. Puer fere omnino plagosus videbatur et profundas ustiones toto in corpore ostendebat. In valetudinario parvulus aegrotus plane rigidus et sui haud compos, non respondens stimulis et veternus inventus est. Ustiones medicatae sunt sulphamidicis et glycosii diluto sed post primas curationes ungues ceciderunt pueri, qui autem nulla signa responsionis doloribus nec repercussionem nervorum ostendebat.

Istis rebus cognitis, soror Dulcidia Granzotto Congregationis Sororum ab Immaculato Corde Mariae, quae in valetudinario aegrorum ministra erat et die ac nocte Honorino adsidebat, orare Venerabilem Fundatricem pro infirmi sanatione incepit secum in invocatione parvuli familiam et alios trahens. Post septem dies repente puer somno experrectus est, cito profectus salutis ostendens, post decem et quinque dies a receptione in valetudinario puer bona in

valetudine, sine cicatricibus imminuentibus et sine infectiva implicatione dimissus est.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Servae Dei invocationem et sanationem parvuli Honorini, qui deinceps, naturali sociali vita pollens, sanus fuit.

De sanatione, mira aestimata, iuxta Curiam Archidioecesanam Portalegrensem a die 13 mensis Maii anno 1997 ad diem 21 mensis Maii anno 1998 celebrata est Inquisitio Dioecesana, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 8 mensis Novembris anno 1999 approbata est. Consilium Medicorum huius Dicasterii in sessione diei 13 mensis Novembris anno 2008 declaravit sanationem, celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 22 mensis Aprilis anno 2009 Congressus actus est Peculiaris Consultorum Theologorum, quorum positivum iudicium, die 12 mensis Ianuarii anno 2010, a Patribus Cardinalibus et Episcopis, in sessione ordinaria congregatis, causam ponente Exc.mo Domino Hieronymo Grillo Episcopo Emerito Centumcellensi-Tarquiniensi, confirmatum fuit.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Barbarae a Sanctissima Trinitate (in saec. Barbarae Maix), Fundatricis Congregationis Sororum ab Immaculato Corde Mariae, videlicet de celeri, perfecta ac stabili sanatione pueri Honorini Ecker a « malattia da ustione da acqua bollente, brace ardente e vapori ad alta temperatura, con grave stato di shock. Ustioni di II grado profondo – III grado con estensione del 40/50% della superficie corporea in soggetto di 4 anni ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Martii A. D. 2010.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

HISPALEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae ab Immaculata Conceptione (in saec.: Mariae Isabellae Salvat Romero), Antistitae Generalis Congregationis Sororum Societatis a Cruce (1926-1998)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria ab Immaculata Conceptione (in saec.: Maria Isabella Salvat Romero) die 20 mensis Februarii anno 1926 Matriti nata est e familia terrenis opibus nec non ferventi christiana fide ditata. Persentiens vocationem ad vitam consecratam, anno 1944 Hispali uti postulans excepta est apud Sorores Societatis a Cruce. Expleto noviciatu ac perpensa humana et spirituali formatione, concreditum est illi moderamen aliquot scholarum et anno 1966 Hispalim arcessita est in Primariam Domum tamquam adiutrix in noviciatu ac deinde veluti magistra noviciarum. Decursu temporis nominata est primum Moderatrix Provincialis, deinde Consiliaria Generalis ac tandem Suprema Antistita Instituti: ad hoc supremum munus, Apostolica Sede annuente, ter est confirmata. Quamvis plurimis obligationibus detenta, Serva Dei numquam neglexit officium vitam spiritualem assidue gerendi nec constans studium servitium egenis praestandi. Verbo ac praesertim exemplo funditus adlaboravit ut primigenium servaret charisma Fundatricis, Sanctae Angelae a Cruce, et hac de causa peculiarem adhibuit curam in consorores instituendas et novas vocationes provehendas. Anno 1994 novit se tumore affici, quamobrem chirurgiam subire coacta est. Quantumvis haud facilis fuerit experientia aegritudinis et tribulationis, quas animi fortitudine nec non summa deditione voluntati Domini oppetivit, per quattuor annos operam suam alacri animo gerere perrexit. Hispali in Primaria Domu die 31 mensis Octobris anno 1998 piissime obiit. Summus Pontifex Benedictus XVI virtutes heroicas agnovit die 17 mensis Ianuarii anno 2009.

Ad beatificationem quod attinet, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram puellulae Annae Mariae Rodríguez Casado sanationem, adscriptam intercessioni Venerabilis Servae Dei et Hispali patratam ineunte mense Februario anni 2004. Puellula, quae inde a natalibus afficiebatur implicata forma cardiopathiae, bis chirurgiam subierat et, sequentibus annis, naturalem evolutionis corporis cursum ostenderat. Attamen, quattuor annos agens, inopinato intermissionem car-

diorespiratoriam pertulit cum sensuum amissione. Licet apud valetudinarias aedes assistentia frueretur, puellula restaurationis signa non exhibuit, quoniam curae redanimationis, etsi opportunae, non idoneae et inefficaces exstiterunt. Clinica eius indicia exsistentiam veri et proprii detrimenti cerebralis detegebant, cum funestis implicationibus, quae sequuntur: absentia relationis cum ambitu, deerratio quod attinet ad spatium et tempus, stabilitas visionis, hypertonia musculorum, defectio motoria, perturbatio psychomotoria. Dimissa ex valetudinario, ne domi quidem salutis progressum obtinuit; prognosis edebatur omnino infausta *quoad vitam et valetudinem*.

His in adiunctis, quae non tantum anxia verum etiam desperata videbantur, mater puellulae a Sororibus Societatis a Cruce parvam recepit imaginem qua conspiciebatur effigies Venerabilis Servae Dei Mariae ab Immaculata Conceptione, cum oratione. Tunc mater sponte summam nutriens spem, imaginem admovit oculis, ori et capiti filiae invocans Servam Dei his commoventibus verbis: « Tu es quae puellulam meam sanare debes. Si vere sancta es, ecce optimum miraculum sanandi filiam meam! Unum tantum a te flagito, nempe ut eius oculi me videant et cognoscant ».

Communitas quoque Sororum Societatis a Cruce intercessioni Venerabilis Servae Dei aegrotulam commendarunt.

Ferventes preces haud dubie sunt exauditae, ita ut novem post dies quibus puellula valetudinarium reliquerat, subitanea prodiderit virium restitutio in ipsa, quae necopinato loqui incepit, domi astantes agnovit, e carrulo descendit et absque difficultate ambulare coepit. Ne graves quidem exhibitae sunt sequelae neurologicae, quae ex more his in casibus eveniunt. Sanatio a primis medicis qui visitaverant eam habita est valde celeris quatenus attinet ad restitutionem neuropsychicam, quae obtineri valuit sine exercitio rehabilitationis, et quidem cum residuorum absentia.

Evidens ostenditur congruentia temporis inter invocationem ad Servam Dei et sanationem Annae Mariae, quae in praesens bona fruitur valetudine et vitam necessitudinis iuxta normam gerere potest.

De sanatione, quae mira est iudicata, apud Curiam Archidioecesanam Hispalensem, a die 4 mensis Novembris anno 2005 ad diem 6 mensis Februarii sequentis anni, instructa est Inquisitio Dioecesana, cuius iuridicam auctoritatem agnovit haec Congregatio de Causis Sanctorum, Decretum vulgans die 13 mensis Decembris anno 2006.

Consilium Medicum Dicasterii in sessione diei 2 mensis Iulii anni 2009 edixit sanationem celerem fuisse, perfectam, permanentem et iuxta leges scientiae medicae inexplicabilem. Die 5 mensis Decembris anno 2009 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, quorum faventem sententiam confirmarunt die 2 mensis Martii anno 2010 Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati, Ponente Causae Exc.mo D.no Hieronymo Grillo, Episcopo emerito Centumcellarum-Tarquiniensi.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae ab Immaculata Conceptione (in saec.: Mariae Isabellae Salvat Romero), Antistitae Generalis Congregationis Sororum Societatis a Cruce, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione puellulae Annae Mariae Rodríguez Casado a « danno cerebrale post-anossico prolungato di origine cardiaca in bambina già operata per grave cardiopatia congenita cianogena ».*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Martii A. D. 2010.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

BOTRYEN. MARONITARUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Stephani Nehmé (in saeculo: Iosephi), Religiosi professi ex Ordine Libanensi Maronitarum (1889-1938)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Stephanus Nehmé (in saeculo: Iosephus) in vico Lefedo in Libano natus est primis diebus mensis Martii anno 1889. Iam inde a pueritia gravitate morum meditationisque ingenio emicuit, quae omnibus in cotidianis adiunctis et operibus ostendebat. In schola ac paroecia vici frequentandis sicut et in agrorum opere ac vita laris obeundis puerum summopere maturum et omni prudentia ac sagacia iam refertum se exhibuit.

Anno 1905, Servus Dei, modo sedecim annos natus, firmiter ac humiliter postulavit, ut ad novitiatum Ordinis Libanensis Maronitarum admitteretur. Institutione ad religiosam vitam perfecta, die 23 mensis Augusti anno 1907 vota sollemnia emisit. Insequentibus annis, varias exercuit artes, laboribus lignarii, caementarii et agricolae vacans. Plurimos in Conventus missus, semper in cordibus omnium, qui ipsi inciderent, bonae famae aestimatione ac memoria fulsit. Permulti, enim, conversationis eius religiosae diligentem observantiam demirabantur, impensam orationem ac praestans contemplationis officium, quod paenitentiae ac mortificationis actis iugiter resignabat.

Ob conspicuam, quam variis in muneribus eidem commissis exercendis prompsit, navitatem a Superioribus tamquam monachus sincerus validusque constanter habitus est, qui simplices, operarios scilicet ac rusticos ipsi subditos, in obsequium elicere et ad tantam fiduciam suscitare valebat, ut ad componendas laboris controversias saepe vocaretur.

Terroris ictu in peragrandis agris percussus, undequinquaginta modo annos natus, die 30 mensis Augusti anno 1938, in monasterio Kfifanensi pie in Domino quievit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertum subiecit mirum, quod Gerabitae in Libano die 30 mensis Augusti anno 1984 occurrit. Casus, de quo agitur, ad miram sanationem attinet Sororis Marinae Neematallah Nehmé, virginis, quae, ante octo

annos, adeo gravi depravatione vertebrarum affecta est, ut ab omni incessu gradatim usque ad completam artuum immobilitatem praepedita foret. Soror Marina, autem, extrema condicionis suae severitate admodum conscia, ad divinum auxilium devote confugere coepit et per intercessionem Venerabilis Servi Dei Stephani Nehmé, qui patruus eius fuerat, sanationem impetravit. Et nocte diei 30 mensis Augusti anno 1984, summo suipsius stupore inopinanter se omnino sanatam esse percepit.

Clarissime continuatio temporis, sicut et nexus inter invocationem Venerabilis Servi Dei et sanationem Sororis Marinae Neematallah Nehmé patuit, quae optima exinde gaudens valetudine normales vitae consuetudines gerere potuit.

De hac mira habita sanatione apud Curiam Eparchialem Botryensem Maronitarum a die 27 mensis Iulii ad diem 20 mensis Augusti anno 2002 Inquisitio Dioecesana celebrata est cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 14 mensis Februarii anno 2003 probatae sunt.

Dicasterii Medicorum Collegium in sessione diei 1 mensis Octobris anno 2009 una voce ac sententia eventum inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit, sanationem reputans rapidissimam, completam et duraturam, necnon ab omnibus vacuam signis infirmitati adiunctis. Die 16 insequentis mensis Decembris eiusdem anni, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum eodem prospero atque unanimi exitu factus est, cuius sententiam pro miro Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, die 16 mensis Martii anno 2010 habita, Ponente Causae Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Ignatio Moyse I S.R.E. Cardinale Daoud, confirmavit.

Et in utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Stephani Nehmé (in saeculo: Iosephi), religiosi professi ex Ordine Libanensi Maronitarum, videlicet de celeri, perfecta, constanti ac secun-*

dum hodiernam scientiam medicam inexplicabili sanatione Sororis Marinae Neematallah Nehmé a « grave patologia degenerativa vertebrale ».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Martii A. D. 2010.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

ASCULANA IN PICENO

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Francisci Antonii Marcucci, Archiepiscopi Montis Alti in Marchia Fundatoris Congregationis Sororum Piarum Operariarum ab Immaculata Conceptione (1717-1798)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« *Deus voluit nos omni gratia per Mariam ditari* ».

Haec verba Sancti Bernardi Claravallensis totam Venerabilis Servi Dei Francisci Antonii Marcucci conduxerunt collustraveruntque vitam, qui saepius repetere solebat: « Beatus, qui Mariae confidit et cuncta, ut ipsi placeat, agit ». Hanc beatitudinem vero omni benignitate atque intellegentia testatus est, mysterium Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis speciali fervore recolens, ad cuius theologicam veritatem definiendam, quae tantum saeculo fere post declarata est, praedicationi et scriptis admodum profuit.

Dei Servus die 27 mensis Novembris anno 1717 natus est Forcae, pagi Asculanae regionis in Piceno, ubi pater, patronus Leopoldus, quaestoris negotia gerebat. Claris ex religiosa Asculana gente fruebatur natalibus; mater, autem, Ioanna Baptista Gigli, ex humili familia genita erat. Ad fontem baptismalem eodem die quo ortus regeneratus est, nomen sumens Franciscum Antonium.

Parentes eius Asculum modo redierunt apud antiquum familiarem domum, ubi infans, a patruis receptus, fidei doctrinis institutus est et, severo praeceptore duce, ad studia productus. Eximium eius ingenium effecit ut firmam sibi compararet philosophiae ac litterarum etiam classicarum disciplinam. Mors autem iuvenis matris, quae in Francisci Antonii decimoquarto vitae anno occurrit, profundum sensum inanitatis puero reliquit, licet amita omnibus curis benevolentissime eum succinxerit.

Dum duodevicesimum aetatis annum agebat, saturnalium tempore frivolae inanisque quam degebat vitae palam vanitatem animadvertit et sese omnino Deo, viam percurrens ministerii sacerdotalis, consecrare statuit. Quam gratiam Mariae Sanctissimae intercessioni tribuit et, ut gratias ei ageret, die 25 mensis Iulii eiusdem anni spiritualis moderatoris consensu perpetuae castitatis votum emisit. Fortis fuit benignaque haec electio, qua blanda proposita familiae in eum avertebantur: Lauretum una cum sociis quibusdam pedibus incessit, ut Virgini « Assentienti » vocationem suam committeret.

Libro, oratione et verbo aliquorum missionariorum e Societate Iesu necnon Sancti Leonardi de Portu Mauritio, qui Asculum venit, ut missiones ad populum praedicaret, ad presbyteratum se accinxit. Desiderio eos imitandi et scilicet ignorantiam evertendi, quam semper habuit causa multorum malorum, animus Servi Dei arsit. Vix vicenarius ab Episcopo facultatem iam obtinuit Appiniani prope Asculum saturnalium tempore primam missionem suam ad popolum praedicandi, ut iuvenibus alium ostenderet iter quam inane et perfidum illud, quod ante eorum oculos mundus mendaciter panderet. Et mirae admirationi fuit.

Dominus interdum primum Congregationis mulierum in honorem Immaculatae Conceptionis fundandae consilium benigne ei largiri dignatus est. Ad hanc impetrandam gratiam, desiderio populum fide instituendi commotus, missiones in Asculana regione atque Aprutina summa sollicitudine praedicare perrexit. Nam verba eius corda attingebant, quae oratione enutriebantur atque studio et curae elocutionis innitebantur, quam audientium facultatibus prudenter accommodabat. His in praedicationibus primas quoque discipulas cognovit, quae dein Congregationis Sororum Piarum Operariarum ab Immaculata Conceptione sociae futurae erant.

Die 25 mensis Februarii anno 1741 presbyteratu auctus est. Die 8 mensis Decembris anno 1744, dum duodetricesimum agebat aetatis annum, Immaculata Virgo, universo Asculano populo concitato, ei donum novae, sibi dicatae, Congregationis incipiendae concessit. A Sororibus Servus Dei petiit, ut Immaculatam Virginem Mariam amarent atque aliis amare praeciperent, necnon ut fide puellas ac mulieres cuiuscumque aetatis vel ordinis et condicionis informarent. Ad tantam perficiendam missionem omni ope et studio eas paravit patientique amore semper sustinuit, varios ad hoc redigens etiam libros, quibus ipsas in disciplinis sive sacris sive profanis institueret.

Mense Maio anni 1770, Clemens Papa XIV Episcopum Montis Alti in Marchia eum creavit. Hoc nuntium inopinatum Servum Dei magna animi perturbatione affecit, qui vero tantum munus magna cum benignitate suscepit, se mori malle dicens quam Romani Pontificis placitis non obtemperare. Episcopus, igitur, die 15 mensis Augusti ordinatus est in ecclesia Sanctissimi Salvatoris in Lauro, Romae. Tempore huius Romanae commorationis Sanctum Paulum a Cruce, fundatorem Congregationis Passionis Iesu Christi, cognovit, qui admodum eum cohortatus est, ut munera episcopatus susciperet, veri prophetae instar, dicens: «Sanctus fies».

Ferventi sollicitudine Reverendissimus Dominus Marcucci de Dioecesi curam adhibere incepit. Triennio post, autem, nuntium electionis eius ad vicem Gerentem Urbis eum attigit, in quo munere sueta actuositate ministerium suum Clementi Papae XIV navavit, cuius successor, Pius Papa VI, mense Februario anni 1782, Servum Dei tamquam consiliarium nominavit ad iter Vindobonam suscipiendum, ut quaedam cum Iosepho II imperatore paciscerentur, qui rei publicae administratione, catholicae Ecclesiae valde infensa, eo tempore utebatur. Munus vices gerentis Servus Dei duodecim annos exercuit, miro autem apostolico ardore, Dioecesis et Congregationis Sororum Piarum Operariarum ab Immaculata Conceptione persequens curam.

In humanitatis cultus temperie illa quam dicunt Luminum, perardua scilicet in tempestate Ecclesiae, firmum illuminatumque personavit responsum suum, catholicum, coram difficultatibus illius temporis datum. Vir fuit humano cultu egregius, scientiis sive divinis sive profanis aeque proclivis, nexus illius inter fidem et rationem, inter fidem et humanitatis cultum, inter naturam et gratiam, studiosissimus et fide dignus testis.

In ultimis annis vitae, iam laboribus defessus infractusque morbis, licentiam secedendi apud Domum Matrem Instituti a Summo Pontifice obtinuit. Die 12 mensis Iulii anno 1798 Asculi in Piceno pie in Domino quievit corpusque eius, iuxta desiderata, in ecclesia Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis sepultum est, ubi etiamdum in apta Cappella asservatur, quam frequentissime, crebri visitant devoti, qui impetrent et referant gratias.

Piae Operariae ab Immaculata Conceptione, virtutum Patris Fundatoris sui consciae, testimonium praebendi cupientes proficientis famae eius sanctitatis, petiverunt merueruntque, ut apud Curiam Asculanam in Piceno Beatificationis et Canonizationis Causa a die 5 mensis Maii anno 1963 ad diem 26 mensis Novembris anno 1968 iniretur per celebrationem Processus Dioecesani, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 30 mensis Novembris anno 2001 probatae sunt. Interdum, die 14 mensis Ianuarii anno 1977, Censores Theologi prosperam sententiam super scripta Servi Dei exprimebant. Positione confecta, die 28 mensis Novembris anno 2008, iuxta consuetudinem, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum secundo cum exitu disceptatum est an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 12 mensis Ianuarii anno 2010, audita relatione Excellentissimi Domini Ioannis Pauli Benotto, Archiepiscopi Pisani, Causam Ponentis, pro-

fessi sunt Servum Dei Franciscum Antonium Marcucci virtutes theologales, cardinales iisque adnexas ad modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus, Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus: Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Francisci Antonii Marcucci, Archiepiscopi Montis Alti in Marchia, Fundatoris Congregationis Sororum Piarum Operariarum ab Immaculata Conceptione, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Martii A. D. 2010.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 16 Februarii 2011. — Titulari episcopali Ecclesiae Verbianae, R. D. Theodorum Mendes Tavares, C.S.Sp., hactenus Vicarium Generalem Tefensem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Belemensis de Pará.

— Cathedrali Ecclesiae Caratingensi, Exc.mum P. D. Emmanuelem Messiam de Oliveira, hactenus Episcopum Guanhanensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Auguritensis, R. D. Iosephum Franciscum Falcão de Barros, e clero dioecesis Palmiriensis Indorum in Brasilia, hactenus Parochum S. Vincentii de Paul et Cappellanum Militiae securitatis in regione Alagoas, quem constituit Auxiliarem Ordinariatus Militaris Brasilianae Reipublicae.

die 18 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aquaeflaviensi, R. D. Pium Gonçalo Alves de Sousa, hactenus Decanum Capituli Ecclesiae Cathedralis Bracarensis, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Portugallensis.

die 19 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Nasaitensi, R. D. Michaëlem Angelum D'Annibale, dioecesis Sancti Isidori in Argentina Vicarium Generalem, quem constituit Auxiliarem dioecesis Rivogallaecensis.

die 22 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Amosensi, Exc.mum P. D. Aegidium Lemay, hactenus Episcopum titularem Egugensem et Auxiliarem archidioecesis Quebecensis.

— Metropolitanae Ecclesiae Quebecensis, Exc.mum P. D. Geraldum Cyprianum Lacroix, I.S.P.X., hactenus Episcopum titularem Hiltensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis Quebecensis.

die 22 Februarii 2011. — Titulari episcopali Ecclesiae Yprensi, R. D. Ioannem Kockerols, e clero archidioecesis Mechliniensis-Bruxellensis, ibique hactenus Decanum pro Vicariatu foraneo vulgo appellato "Bruxelles-Sud", quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aptensi, R. D. Ioannem Lucam Hudsyn, e clero archidioecesis Mechliniensis-Bruxellensis, ibique hactenus Vicarium episcopalem pro Vicariatu vulgo appellato "Brabant Vallon", quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Municipensi, R. D. Leonem Lemmens, e clero dioecesis Hasseletensis, hactenus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Officialem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Mechliniensis-Bruxellensis.

die 24 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Gummitanae in Byzacena, R. D. Dagobertum Sosa Arriaga, e clero archidioecesis Angelorum, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Naronensi, R. D. Helmodum Dieser, e clero dioecesis Trevirensis, hactenus in civitate vulgo Adenau necnon in pagis vulgo Dümpelfeld, Kaltenborn et Kaltenborn-Herschbach Curionem atque in Instituto Sancti Lamberti in loco vulgo Burg Lantershofen magistro, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Ordinariatui Militari Reipublicae Foederatae Germaniae, Exc.mum P. D. Franciscum Iosephum Overbeck, hactenus Episcopum Essendiensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Buxentinae, R. D. Eugenium Lira Rugarcía, e clero archidioecesis Angelorum, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 25 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Californiensi, R. D. Villelmum Ioannem Waltersheid, e clero dioecesis Harrisburgensis, ibique Vicarium pro Clericis et Vita Religiosa, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Davidis Alani Zubik, Episcopi Pittsburgensis.

— Cathedrali Ecclesiae Concordiensi-Portus Naonis, R. D. Iosephum Pellegrini, e clero dioecesis Veronensis ibique hactenus Vicarium Generalem.

die 1 Martii 2011. — Cathedrali Ecclesiae Grandicataractensi, Exc.mum P. D. Robertum Antonium Daniels, hactenus Episcopum titularem Scebatianensem et Auxiliarem dioecesis Londonensis.

— Cathedrali Ecclesiae Riviangulanensi-Labradorensi, Exc.mum P. D. Petrum Iosephum Hundt, hactenus Episcopum titularem Tarasensem in Byzacena et Auxiliarem archidioecesis Torontinae.

die 3 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Reginae Gradecensi, R. D. Ioannem Vokál, e clero eiusdem dioecesis et Secretariae Status in praesens Officialem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza:

Giovedì, 17 febbraio, S. E. il Signor Dmitrij Anatolievic Medvedev, Presidente della Federazione Russa;

Giovedì, 24 febbraio, S. E. il Signor Michel Sleiman, Presidente della Repubblica del Libano;

Lunedì, 28 febbraio, S. E. il Signor Jerzy Buzek, Presidente del Parlamento Europeo;

Giovedì, 3 marzo, S. E. il Signor Sebastián Piñera, Presidente della Repubblica del Cile;

Venerdì, 4 marzo, S. E. il Signor Ólafur Ragnar Grímsson, Presidente della Repubblica di Islanda.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

10 febbraio 2011 S.E.R. Mons. Juliusz Janusz, Arcivescovo tit. di Caorle, finora Nunzio Apostolico in Ungheria, *Nunzio Apostolico in Slovenia, con incarico di Delegato Apostolico in Kosovo.*

19 » » S.E.R. Mons. Ivan Jurkovič, Arcivescovo titolare di Corbavia, finora Nunzio Apostolico in Ucraina, *Nunzio Apostolico nella Federazione Russa.*

22 » » S.E.R. Mons. Edward Joseph Adams, Arcivescovo titolare di Scala, finora Nunzio Apostolico nelle Filippine, *Nunzio Apostolico in Grecia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

13 febbraio 2011 I Rev.di Mons.: Diego Giovanni Ravelli, Stefano Sanchirico e Pier Enrico Stefanetti, *Cerimonieri Pontifici « in aliud quinquennium ».*

22 » » L'Ecc.mo Mons. Juan Ignacio Arrieta Ochoa de Chinchetru, *Giudice del Tribunale Ecclesiastico dello Stato della Città del Vaticano « in aliud quinquennium ».*

» » » L'Ecc.mo Mons. Joseph Kalathiparambil, finora Vescovo di Calicut (India), *Segretario del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti.*

1 marzo » L'Ill.mo Dott. Sabatino Napolitano, *Direttore della Direzione dei Servizi Economici del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano « ad quinquennium ».*

Si rende noto che il 1º marzo 2011 sono stati noiminati: il Rev.do Mons. Piergaetano Lugano, *Giudice Istruttore « ad quinquennium »*; i Rev.di Mons.: Fabio Fabene, P. Miroslav K. Adam, O.P., e Don Jesu Maria James Pudumai Doss, S.D.B., *Giudici*

Esterni « in aliud quinquennium »; il Rev.do Sac. Marek Rutkowski, *Giudice Esterno « ad annum », nell'ambito del Tribunale di Prima Istanza per le cause di nullità di matrimonio della Regione Lazio.*

---

28 febbraio 2011 L'Em.mo Signor Cardinale Segretario di Stato ha nominato Direttore Amministrativo della Radio Vaticana il Dottor Alberto Gasbarri *« ad quinquennium »*.

NECROLOGIO

10	febbraio	2011	Mons. Józef Mirosław Życiński, Arcivescovo di Lublin (*Polonia*).
17	»	»	Mons. Agostino Hu Daguo, Vescovo Prefetto Apostolico di Shiqian, Guizhou (*Cina*).
»	»	»	Mons. Francis Anthony Gomes, Vescovo em. di Mymensingh (*Bangladesh*).
»	»	»	Mons. Olombe Atelumbu Musilamu, Vescovo em. di Wamba (*Congo*).